



GER. 195. 51
An. 195.

III. 74

V
6218

GEORGI HEINRICI GOETZI, L
Superint. Lubec.

VINDICIAS CATECHISMI D. Martini Lutheri,

adversus

LAURENTIUM SURIUM, Lubecensem,

Ad D. XIV. Julii, A. MDCCXIX.

in

Confessu Reverendi Presbyterii
defendet
DOMINICUS GERHARDUS
ANDREAS Samprecht/
Basthorstio - Lauenburgicus,
Vocatus Pastor Ecclesiae Nüssensis.



LUBECÆ , Litteris SAMUELIS STRUCKII.

198.
 Nter Scripta , qvæ incomparabilem Virum , D. Martinum Lutherum , autorem habent , atqve priori cœtui multum huc usqve profuerunt , omnium facile principem locum meretur libel-
 lis ille , vulgò dictus CATECHISMUS . Is enim
 præcipua doctrinæ salutaris , ac scitu dignissimæ ,
 argumenta complectitur , qvæ , & credenda , & agenda , tradunt ,
 atqve singulos ad vitam æternam , gratis consekvendam , alli-
 ciunt , atqve promovent . Qvamvis enim mira brevitate sit con-
 spicuus , ea tamen exhibet præcepta pietatis , qvæ prolixiori com-
 mentationi inserviunt , dissentientium strophas elidunt , atqve
 nunquam satis addisci , vel repeti , possunt . Hacigitur causa per-
 moti haud pauci Doctorum eundem eruditis observationibus ,
 illustrarunt , ab adversariorum detorsionibus vindicarunt , at-
 que gregi sacro , cui Divinum Numen illos præficijussit , diligen-
 tissime commendarunt . Nolo eqvidem ipsorum nunc adduce-
 re nomina , qvippe qvod à meo instituto planè est alienum , at-
 que unius ferme hominis laborem superare credo , mili tamen
 temperare prorsus neqveo , qvò minus Polycarpi Lyseri , Brunsvi-
 censium Ecclesiarum Præsulis , atqve Electoratus Saxoniz Theolo-
 logi exercitatisimi , meritissimiqve , judicium , qvod de Lutheri
 Catechismo , sacrisque ejusdem expositionibus , tulit , hic appo-
 nam . Extat illud in *Dedicat. Partis prime Locorum Theologicorum*
B. D. Martini Chemnitii , atqve hisce verbis est conceptum . „Con-
 scripsit Catechismum brevem , auro gemmisqve preciosiorem ,
 „in quo Prophetica & Apostolica Ecclesiastica doctrinæ puritas
 „in unum integrum doctrinæ corpus ita est contracta , & tam
 „verbis perspicuis proposita , ut Canone (ed qvod ex Canonis
 „Scripturis omnia sint deprompta) dignus non immerito cen-
 „seatur . Vere affirmare possum , in brevissimo illo libello , tot
 „tantarumqve rerum copiam contineti , ut si omnes fideles
 „Evangelii prætones , per omnem vitam , nihil aliud in suis
 „concionibus tractarent , qvam ut arcanam DEi sapientiam in
 paucis“



3.

paucis illis verbis comprehensam, rudi plebeculæ ritè explana-^{re}
 rent, & fundamenta singularum vocum ex Scripturis divinis
 panderent, nunquam abyssum illam immensam exhaustire pos-^{se}
 sent. Proinde nunquam satis laudatus est mos qvarundam
 Ecclesiarum, inter quas nostra hæc Brunsvicensis jure optimo
 vel maxime (DEo sit laus) commendatur, qvod singulis qua.^{rum}
 drantibus anni, in frequentissima concione, cuiusvis status &^{rum}
 sexus nos homines per aliquot dies conveniunt, & sepositis
 omnibus alis scripturarum enarrationibus hoc unum agunt,^{rum}
 ut Catechetica doctrinæ repetitio instituatur. ¹⁾ Hac nimirum
 ratione omnes, tam Doctores, quam Auditores, ad fontes du-^{cent}
 cuntur, ut intra cancellos sanæ doctrinæ, divinitus constitutos,^{rum}
 sese perpetuo contineant. Qvid enim aliud agimus, quando
 dicto modo ad audiendum Catechismi doctrinam convenimus,^{rum}
 quam quasi in Paradiso Domini ad arborem scientiæ boni &^{rum}
 mali congregati, tristissimi lapsus, quem primi generis nostri
 parentes commiserunt, & corruptissimi nostri status, qui inde
 consecutus est, ex lege commonesieremus, & postea latum
 Evangelium de benedicto mulieris semine, ad sananda nostra
 vulnera, ex ipsissimo Dei ore audiremus: unde corda nostra
 fiducia gratiæ DEi & meriti Christi erecta, DEum per nomen
 Salvatoris, in omnibus miseriis & adversitatibus hujus mundi
 invocare, eandemque fidem Sacramentorum doctrina & usur-^{atione}
 disserent. Qvodnam exercitium magis utile, magis
 fructuosum in Ecclesia Christi institui posset? Pulchrum est &^{rum}
 gloriosum, in sacris non tantum profecisse, ut ex Mose, Psalmis,^{rum}
 Prophetis, Evangelistis & Apostolis, audiamus, quæ DEi sit
 erga nos voluntas. Sed quia fere Satanæ corruptam nostram
 voluntatem impellit, ut altiora inquirat, & necessaria negligat,^{rum}
 idcirco Catechetica doctrina ad illud prodest, ut nos rursus ad
 Christi pedes demittamus, & ex illa simplicitate addiscamus
 illud Pauli! μη τα υψηλα Φρουρυτες, αλλα τοις ταπεινοις^{rum}

A 2

συναπτε-

¹⁾ Istius consuetudinis meminit B. D. Mart. Chemnitius Examen Concil. Trident. P. IV. f. 814. diversos dies festos enumerans; Singulis anni quadrantibus certi aliquot dies ad solennem Catecheses tractationem constituti sunt.

„συναπταγόμενοι. Sicque Catecheticum hoc exercitium generalis
 „quasi medela est, qva luxuriantibus ingenii occurritur, ut si
 „qui a pura simplicitate recedere, suæ rationis placitis contra
 „verbum DEi indulgere vellent, mox non tam Prophetica &
 „Apostolica, qvam divina auctoritate, intra septa revocentur,
 „ut ad sobrietatem sapere discant.“

S. 2. At enim vero qvamvis laudes sua utilissimus hicce libel-
 lis minime defraudari debeat, qvidam tamen inventi fuere,
 qui eidem dicam scribere ausi, atqve non sine sugillatione magni
 hujus Viri optimè dicta & cogitata pessime interpretati fuerunt.
 Inter hos referendum esse credo Laurentium Surium, Lubecensem,
 cui in *Commentario brevi rerum in orbe gestarum*, p. 235 sqq. hæc, atro
 lapillo notanda, exciderunt. Hoc anno (1530.) Lutherus motus discor-
 dia concionatorum sectæ sue, edidit *Catechismum*, in quo Decalogum,
 Precationem Dominicam, & Symbolum Apostolicum, in plerisque longe
 aliter exposuit, qvam fecerat ante annos decem. Docet ibi usum Ba-
 ptismi & Eucharistie, præter qvæ nulla alia vult esse Sacraenta, cum
 in catholica Ecclesia septem habeantur, qvæ plenique omnia etiam à
 Dionysio Areopagita, Pauli Apostoli discipulo, numerantur. Inde vero in-
 numeri à sectariis editi sunt Catechismi, sed e quibus vix duos invenias,
 qui inter se per omnia concordent. Fuit hoc scriptioris genus ju-
 ventuti longe perniciosum, cui sua venena homines versuti insillarunt,
 mira plerisque usi blandiloquentia & verborum lenociniis. Porro apud
 vulgus ea re effectum est, ut cerdones & laniones & edentule anus deli-
 rigue senes tanquam quodam numine afflati de rebus theologicis etiam in
 tabernis aut apud focum mina garrulitate deblaterent, putentque se plus
 aliquid in scripturis interpretandis valere, qvam vel præcipuos Catholi-
 ca Ecclesiæ Theologos. Itaque non rarum est apud Evangelicos, ut ho-
 mines ex insima plebe, plerisque etiam homicidae, lictores, carnicices,
 concionandi & Sacraenta ministrandi munere fungantur, & tanta sit
 apud plerosque omnes confusio, ut nemo id satis explicare queat. Scriptie
 enim Lutherus omnes homines esse sacerdotes, ut sacerdotium cogeret in
 ordinem, & populi studium ac favorem sibi ejusmodi docendi genere ar-
 elissime conciliaret. Et effecit ille quidem apud vulgus miserabile, ut
 sacerdotio catholico ritu initiati, & monaci omnes in summum contem-
 tum

5.

tum venerint : & in hoc sane gloriari videtur in fædissima illa Epistola, qua Cardinalem & Archiepiscopum Moguntinum Albertum, electoris Brandenburgici fratrem, ausus fuit hortari ad incandum matrimonium. In ea enim hæc quoque ejus verba leguntur : *Vulgaris nunc didicit & intelligit Ecclesiasticum statum nihil esse, id quod satis superque declarant tam varia cantilena, disteriaque & lœdoriae, cum in omnibus parietibus, in omnigenis schedulis, denique in chartis lusoriis sacerdotes & monachi pingantur, & pro ludibrio & portento habeatur, si quem vel videre vel audire contingant ē clero.* Verum Lutherus horum causa est, & ipse docuit miseram multitudinem contemnere sacerdotium & clerum. Satiis autem fuerat dicere imperitis, quam graviter olim Deus etiam in veteri lege puniret eos, qui sibi volebant arrogare sacerdotii functiones, & ut Christus dixerit apostolis suis, eorumque successoribus : *Qui vos audit, me audit : & qui vos spernit, me spernit.* *Luc. 10.* Denique etiam in nova lege Christum instituisse Apostolos & 72. discipulos, & ab Apostolis rursus alios esse ordinatos episcopos & presbyteros, & diaconos : Sed Lutherus volebat loqui placentia, & hoc pacto innumeros perdidit. Non male itaque me facturum esse arbitratus sum, si Lutheri causam pro virili mea nunc agerem, eundemque hoc libello Ecclesiaz commoda mirum quantum promovisse, evincerem.

§. 3. Ad annum millesimum qvingentesimum & trigesimum respiciendum esse monet *Surius*, cum libellus *Lutheri Catechiticus* in lucem publicam prodiiisset. Quamvis enim *Anno antecedente, MDXXIX.* uterque sit conscriptus, & quidem *Minor*, mense primo, qui vulgo *Januarius* appellatur, & *Major* paulo post, cum decimus mensis, cui *October* nomen est, laberetur, eundem excepit, attamen anno paulo post inseqvente de utroque singula Ecclesiaz fuerunt edicta, ut ejus copia ipsis fuerit impertita, quamobrem *annum 1530.* indicandum esse existimavit *Surius*. Verum dum scribit, *Lutherum motum discordia concionatorum sectæ sua Catechismum edidisse*, in eo veritati vim inferre videatur. Is enim non discordia concionatorum, sed ipsorum, & auditorum insimul, quos habuerunt, ruditate fuit permotus, ut hanc scriptiōnem in se susciperet, atque tum illis modum plebem infimamque multitudinem sacram doctrinam docendi

A 3 præscri-

202
6.

præscriberet, tum ut hosce moneret, prima elementa fidei Christianæ esse haurienda. Id qvod sanctæ memorię Vir in lectu digna Præfatione 2) Catechismi Minoris, in gratiam Parochorum & Concionatorum editi, dissimulare haud potuit, verbis sequentem in modum scriptis: *Miserabilis illa facies, quam proxime, cum visitatorem agerem, vidi, me ad edendum hunc Catechismum, simplicissime & brevissime tractatum, coegerit. DEum immortalem! quam tam calamitatem ibi vidi: vulgus, praesertim autem illud, qvod in agris vivit, item plerique Parochi adeo nullam Christianæ doctrine cognitionem habent, ut dicere etiam pudeat. Et tamen omnes sancto illo Christiani nomine appellantur, & nobiscum communibus utuntur Sacramentis, cum orationem Dominicam, Symbolum Apostolicum, & Decalogum non modo non intelligent, sed ne verba quidem referre possint.* Jussu autem Electoris Saxoniz, Johannis, 3) Lutheri doctrinæ faventissimi, eundem in Ecclesiis inquisivisse, ac defectus quamplurimos comprehendisse, inter omnes constat. Et hi facile nostrum permoverunt, ut de Catechismo evulgando consilia conferre institueret, quamobrem primum Verbi quibusdam ministris in mandatis dedit, ut catechetica præcepta adornarent, postea vero ipse manum operi

-
- 2) Ex illa Decadem Thesum excerptis B. D. Jo. Frider. Mayerus, eruditorum censuræ Gryphiswaldia A. MDCCIV. subiectam.
 - 3) Cum hic A. MDXXXII. è vivis excessisset, Lutherus noster duobus sermonibus ipsius exequias condecoravit, quos M. Th. Stybarus Tomo primo Funerarium illustrium p. 146. sqq. inferuit. Eos vero acerbiori censura excipiebat Sarum, infeguentia, quæ l. c. p. 292. notavit, confirmabunt. Ita vero scribit: *In venationis loco haud procul Wittenberga excessit è viuis Saxoniae Dux Johannes, Lutheri parvus. In ejus funere duas ad populum conciones habuit Lutherus, quas eriam voluit exire in publicum. Eas quidam catholicus scriptor ita confutavit, ut ostenderit, pudendam Lutheri inconstitiam, qua in illo homine prodigiosa fuit, merito cordatos omnes absterrere debere, ne ejus doctrinam complecti velint. Pigeat referre ineprias, quibus Saxonem ipsi Christo videtur velle comparare, tangam insofar Christi pro omnibus putâ Lutherianis, biennio antea Augusta mortuus fuerit, cum rauco ibi corpore moriens non fuerit. Quod si sentit Principem illum anima mortem illuc appetuisse, ea quidem horrende mors est, nec obscurum est Augustus cum palam subscriptisse confessioni Lutherana, qua revera non potest non mortem adferre ipsam approbantibus. Prætereo reliqua, quæ atculit, ut probaret, Lutherum levi sententia fuisse Doctorem,*

7.

operi admovit , atqve utrumqve libellum , qvi *Catechismus Major* ac *Minor* vocatur , conscripsit . Leg . B . *Christoph . Heinrici Læberi Historia Ecclesiastica Ephoriæ Orlamundanae* , p . 15 . sq .

S . 4 . In hoc verò nonnulla immutata ab ipso fuisse , moner *Surius* , ita , ut illa , qvæ modò ante decennium scripsisset , emendasset , atqve sic ab Ecclesia Romanensium discessum fecisset . Qva in re nec me ipsum dissentientem habet . Equidem ultro fateor , Lutherum pristinos illos errores , qvos imbibera , Sanctos præ- primis esse invocandos , aliosqve , haud dissimilis argumenti , optimo jure repudiasse . Tantum autem abest , ut propterea in malam animadversionem incurrat , ut potius omnem meritum sit laudem , qvod veritati , cuius luce collustratus fuit , cesserit , atqve tenebricosissimo cœtui adhærere ulterius noluerit . Quem admodum itaque D . *Paulus* rectè fecit , qvod doctrinam Pharisæicam , qvâ imbutus erat , deseruerit , atqve Evangelium de Jesu Christo annunciaverit , ita nec nostro , licet mediatis & successivam illuminationem nactus fuerit , vitio verti debet , qvod , agnita magis magisqve veritate cœlesti , antiquum obtinere neglexerit . Verum , dum *Surius* eam ob causam Doctorem nostrum reprehendit , non immerito ipsius candorem laudandum , eundemqve fraudibus ac conviciandi pruritui Jesuitarum , ut vulgo appellantur , præferendum esse , arbitror . Hi enim *Moguntiae* idiomate Germanico libellum catecheticum , Lutheri nomine insignitum , ediderunt , hoc lemmate conspicuum . *Enchiridion* , der kleine Catechismus für die gemeine Pfarrherrn und Prediger / gemehret und gebessert aus D . Martini Lutheri Schriften und Büchern zu Wittenberg gedruckt . Num ille A . MDLXXXIX . impressus fuerit , prout B . D . *Jo . Benedictus Carpzovius* in aurea , ac terque quaterque legenda , *Isagoge in L . L . Symbol .* p . 944 . refert , num verò Anno MDLXXXVII . prodierit , prout aliis placet , apud B . *Schelvgigium* in libello Apologetico , mox laudando , jam non inquiram , hoc tamen pro certo dici potest , eundem sibi scilicet recusum fuisse , quamvis locus , quo prelo exiit , mendaciter indicetur . Ejus rei ergo nonnulla ex modo adducti Theologi Gedanensis Scripto Germanico , qvod Gedani publici juris fieri passus est , & hoc

204

hoc titulo gaudet : *Catechismus Reinigung* / das ist augen-
 scheinlicher Beweis des mannigfaltigen Betrugs / womit die Päpst-
 ler / in Versertigung und wiederholten Druck des so genannten Cate-
 chismi D. Martini Luthers / umgegangen : excerpere lubet , qvō
 Pontificiorum imposturæ in recudendis Lutheri scriptis, eō melius
 singulis irnotescant. Hæc verò p. 12. sqq. edit. secunde A. MDCCXIII.
 impensis Bibliopolæ Osnabrugensis, Mich. Andrea Fuhrmanni, factæ,
 extant, atque hie legi merentur. Es ist falsch / daß / nachdem dieser
 Catechismus im Jahr 1587. erstlich gedruckt er hernach im Jahr 1667.
 zum Brieg nachgedruckt worden. Das erste wil ich zugeben / wiewol
 mir der Druck von benanntem Jahre niemals zu handen kommen. So-
 fern trau ich meinen Widersachern / die im Jahr 1600 eben diesen Ca-
 techismum noch einmahl ansgehen lassen / nebst einer / wiewol überaus
 elenden Schutz-Schrift unter dem Nahmen Sigmund Ehrenhof-
 fers von München Theologi , welcher seine Dedication oder Zu-
 schrift an Bischoff Johann zu Laybach in dem Jahr 1587. datirt hat/
 und darin sich unterschiedene mahl angiebet / daß er dieses herrliche Ca-
 techismus-Werk aus Luthero zusammen getragen. Obs wahr und
 der Nahme des Uhrhebers richtig sey / mag ich anist nicht untersuchen.
 Es ist aber die Schutz-Schrift zween Evangelischen Theologen / nem-
 lich Wilhelm Zimmermann und Heerbranden entgegen gesetzet/ derer
 Wiederlegung des verfälscheten Catechismi ich bisher nicht habe erhalten
 können : Welte senst meiner Feder geschonet / und durch Wiederaufle-
 gung dessen / was schon auff unser Seiten ausgengen / den alten Koht
 mit dem alten Besen ausgefeget haben. Allein das andere ist eine Hand-
 greifliche Unwahrheit / daß obbemeldter Catechismus im Jahr 1667.
 zum Brieg nachgedruckt worden. Denn damals hielt noch in Brieg
 ein Herzog Hoff / welcher der Päpstlichen Religion abhold war / und
 demnach in seiner Fürstl. Druckerey außer welcher keine andere in selbiger
 Stadt sich befand / nimmermehr dergleichen zu thun vergönnet hätte.
 Wie denn der letzte Herr Piastischen Stammes / Fürst Georg Wil-
 helm/ glorwürdigen Andenkens / erst 1675. den 21. Novembrie starb/
 von welcher Zeit ab die Päpster im Briegischen Fürstenthum mehr Macht
 überkommen. . . . Wenn auch gleich dieser Catechismus im Jahr
 1667. zum Brieg gedrucket wäre / ist es doch falsch/ daß er iko im Jahr
 1684.

9.

1684. da herausgekrochen komme. Denn sein ihiges Vaterland ist das Kloster Oliva / wo numehr fast eine Gewohnheit worden / allerhand Mahmenlese / und falschbetitulte Schriften wieder die Evangelischen ausszubüten oder auszuwärmen. Davon zeuget nicht allein der Druck und das Papier / sondern wo es erforderd wird / bin ich bereit die Sache was deutlicher auszuführen. Qvod si ergo Surius Catechismus huncce, Lutheri tribulum, sua aetate vidisset, dolose & maliciose socios suos cum eodem egisse, atque illecebris & insidiis Lutheranos circumveniri, ipse agnoscere, licet verum fateri disimulasset, coactus fuisset.

s. 5. Hoc autem potissimum Censorem nostrum asperum malè habet, qvod sēp̄ illa *Sacra menta*, qvꝫ Ecclesia Romano-Catholica propugnat, rejecerit, ac duo tantum, *Baptismum & Eucharistiam*, admiserit, cum tamen pleraque omnia à Dionysio Areopagita, qvi Pauli discipulus fuisse creditur, fuerint indicata ac numerata. Frustra autem hæc dici, qvilibet facillimo negotio deprehendet. Ante vero qvam illud probem, Petrus Halloixius, qvi vitam S. Dionysii scripsit, notationibusque illustravit, audiendus hic erit, cap. XII. T. II. Operum Dionysii Areopagite f. m. 315. sq. edit. Antwerp. A. MDCXXXIV. sequentia, qvibus Surii sententia aliquid roboris nancisci queat, suggestens: Cum Apostoli (in qvorum præcipue humeros tanquam primorum DEi Legatorum, & novæ legis principium præconum id incumbebat onerū) instituta à Magistro sacramenta & sacrificia certis ritibus ac ceremoniis, majoris venerationis ergo, divinitus instruxissent, ordinatisque ab se Episcopis non tam voce aut scripto, quam usu & exemplo tradidissent, visum est viris Apostolicis post illorum è vita migrationem è bono communi fore (qvod & Spiritus ipsi suggestebat) ut præcipua religionis Christianæ mysteria, eorumque ratio & intelligentia sic litteris mandarentur, ut & cum novis Pontificibus ac Sacerdotibus (qvorum jam passim per omnes terras numerus ex crescerebat) facile communicarentur, & simul caveretur, ne quæ occulta esse oporteret, temere ad homines profanos & indignos emanarent. Quemadmodum enim ad religionis sanctæque disciplina confessionem atque unitatem plurimum isti commendarent: ita his propter ignorantia tenebras mentiisque imbecillitatem haud parum officerent. Quare hoc in negotio primus omnium,

206

omnium, quod quidem sciatur, sanctus Hierotheus Dionysii magister laboravit: sed ita laboravit, ut ejus scripta ob difficultatem & obscuritatem in sublimioribus duntaxat ingenii subseruirent. Unde cum ea Dionysius ad Timotheum urbis Ephesi Episcopum transmississet, is ita probavit, ut mediocribus ingenii aliquanto clariora requireret. Quin & ipsummet Dionysium ad hunc suscipiendum laborem non semel, sed saepius mortuatus est, non quasi ipse Timotheus, urytote veteranus Pauli apostoli discipulus, iis magnopere indigeret, sed ut nuper creatis aut deinceps creandis ab se Episcopis in directionem atque subsidium exhiberet: unumque essent illa scripta Dionysii velut rituum omnium ac ceremoniarum conforme magisterium. Et sane ita per Orientem & universam Graeciam, que in libris suis circa ordines conferendos idem prescripsit Dionysius, invaluerunt perennaruntque, ut eorum usus apud illos hodieque perseveret. Verum, cum Eruditi hunc, quem Surius laudat, Dionysium, inter suppositios Scriptores referant, ejusque Scripta sublestæ admodum fidei esse, affirment, quamvis Godofredus Arnoldus, notissimus Antiquitatis veritatisque Historice Corruptor 4), eorum patrocinium in se suscipere fuerit ausus, prout Gvili. Cave in Scriptorum Ecclesiastico-rum Historia Literaria, f. 177, edit. Lond. A. MDCXXCVIII. L. Ellies Dupin in Nova Bibliotheca Auctorum Ecclesiasticorum T. I. p. 51. sq. edit. Paris. A. MDCLXII. aliique, quos magno numero adducit Autor doctissimæ Dissertationis, M. Mich. Frid. Quade, S. Theol. Baccal. (nunc S. Theol. Doctor, & Gymnasii, quod Neo-Sedini est, Rector, ac Prof. Publicus) in Dissertatione, de Dionysio Areopagita, Scriptisque eidem suppositis, contra Godofredum Arnoldum, sub praefidio magni nominis Theologi, B. D. Job. Frid. Mayeri, Gryphiswaldia A. MDCCIX, proposita, fusissime demonstrarunt, ipsius sane auctoritas nullum tam facile permovere poterit, ut Surianam sententiam amplectatur. Etenim probari adhuc debet, Dionysium septenarium Sacramentorum numerum asseruisse. Dionysius quis & qualisunque etiam fuerit, aut quondamque vixerit, ignoravit hanc

4) Hoc titulo eiusdem maestri Dn. M. Mich. Frid. Quade, in Dissertatione de Dionysio Areopagita, p. 24. qui Arnoldi Historiam Ecclesiasticam & Hereticam p. 1. opus diabolicum, & p. 10. pessimum aeternis & tenebris dignissimum, vocare haud veretur.

II.

hanc Sacramentorum ἐπιτάσσει, breviter qvidem sed accurate respondeat B. D. Carpozivius in Dispp. Isagogic. in Chemnitium p. 69. Deinde notum est, nos ad ipsum verum Magistrum Doctrinæ Christianæ, qui est Filius DEI, ac Dominus noster, Joh. XIII. 13. respicere oportere, qui secundum utramque naturam, duo tantum Sacra menta, Baptismum & Eucharistiam, instituit, Matth. XXIX. 19. XXVI. 26. 28. &c quorum materia ex ipsis latere aperto fluxit, Job. XIX. 34. 35. 1. Joh. V. 6. Hunc insecura est Ecclesia primitiva, eaque Apostolica, 1. Cor. XII. 13. recte existimans, haec duo Sacra menta in locum utriusque Sacramenti, quod Veteri Testamento proprium fuit, Circumcisio nis & Agni Paschalis, successisse, Col. II. 11. Matth. XXVI. 26. quae media qvidem sunt fidei conferendæ, licet absque fide integræ esse soleant. Conf. B. Scherzeri Syst. Theol. p. 339. sqq. B. D. Carpozivii Dispp. inauguralis de Sacramentis in genere, quæ in Syntagma Disput. Isagogic. & Systematic. secunda est, B. D. Jo. Försteri The sauri Catechet. Dec. Problem. Theol. de Baptismo Probl. III. B. D. Jo. Hulsemanni Manualis August. Conf. Dispp. XI. & XII. Andr. Riveti Operum Theol. X. III. f. 298. sqq. qui, ex sententia celeberrimi Scherzeri, in Anti-Bellarmino p. 487. nervosissime hoc argumentum tractavit, coll. B. D. Quenstedtii Syst. Theol. P. IV. f. 85. sqq. B. Rappolti Opp. Theol. p. 1175. sq. aliisque. Missum ergo faciendum esse putavit septenarium Sacramentorum numerum, atque bina tantum, qui numerus numeratus in sacris litteris locum habet, adduxit in libello Catechetico, quamvis ob hanc doctrinam eidem Surius succensere instituerit.

S. 6. Ulterius pergit noster objicere, quam plurimos Lutherum fuisse imitatos, & Catechismos edidisse, variis sententiis, à se invicem plurimum dissidentibus, refertos. Ubi qvidem dissimulare nolo, à nonnullis libellos, elementa fidei Christianæ complexos, conscriptos fuisse, illos tamen nullum reportasse applausum, si Lutheri instituto repugnaverint, idque corrigere ausi fuerint, prout de Justi Menii, Ilmenacensium Ecclesiistarum Antislitis, Catechismo, ex Christ. Frid. Paulini, Rerum & Antiquitatum Germanicarum Syntagma, p. 143. sqq. in Miraculis Catechismi Lutheri p. 38. sq. retuli. Verum rectius fecisset, si se Etarios illos adduxisset,

208

duxisset, qvi Catechismo Lutheri adhærere noluerint. Haud raro enim Lutherani erroris cujusdam insimulantur, à qvo tamen, si rite omnia expendantur, meritò liberari debent. Sic Robertus Bellarminus T. III. *Controvers. de Effectu Sacrament. Lib. II. c. XXIII. f. 129.* ad Lutheranorum Catechismos provocat, in quibus tria Sacra menta numerentur: *Ita*, scribens, habent sere omnes Catechismi Lutheranorum, ut Catechismus Philippi, Brentii, & aliorum, item libri rituales, seu agenda ipsorum, & denique *Apologia Confessionis Augustanae* art. 13, cum tamen falsum sit, nec unquam probari queat, omnes Catechismos Lutheranorum Pænitentiam, seu Absolutionem, inter Sacra menta referre consueuisse. Negare qvidem haud sustineo, qvosdam, vel hypothetice, vel secundum quid, & ratione finis, vel comparativè, in relatione ad cætera Sacra menta, ita esse locutos, atque in latiore significatu Absolutionem Sacra mentum vocasse, perpetuam tamen Lutheri, aliorumque, qvi eundem sequntur, sententiam in libellis Catecheticis esse, duo tantum Sacra menta admitti debere, ipsa eorum inspectio luculenter satis edocebit. Conf. B. D. Carpzovii *Isagoge in LL. Symbolicos*, p. 411. sq. & *Diss. Isagog.* in *Chemnitium* p. 64. sq. ac 1419. Verum dum *Surius nostræ Ecclesiæ Doctores* inconstantia reos facit, ipse modò diligenter inquirat, num fidei sua cultores ejuscemodi culpationem mereantur, atque à *Catechismo Romano*, qvi tamen ex decreto Concilii Tridentini, jussu ipsius Pontificis, est editus, nonnunquam discedant. Sic iste clare & expresse docet, sanctos rectè invocari, atque ad eorum orationes, opem, auxilium, singulos confugere debere. *Eam ob causam invocandi sunt, quod pro salute hominum preces assidue faciunt, multaque eorum merito & gratia in nos Deus confert beneficia, rogati peccatorum veniam nobis impetrant, & conciliant nobis Dei gratiam.* Huic verò *Synodus Polonica Petricoviensis* contradicere videtur, qvippe qvæ conata est, invocationem Sanctorum aliquantulum mitigare, hac allata assertione: *A sanctis non misericiordiam, sed intercessionem tantum posulari, sicut ab aliis in seculo degentibus.* Ecquis ergo hæc legens non animadvertis, qvosdam libere à *Catechismo Romano* haud raro dissentire? Leg. B. *Chemnitii Exam. Concilii Trident.* P. III. f. 580. b. Ceterum qvamvis innumeri, ut

13.

ut Surius ait, editi fuerunt Catechismi, qvibus nostra & tate indies
 indiesque novi superaddi solent, ut numerus eorum modum
 penitus excedere videatur, illi tamen præcepta Catechetica non
 immutant, vel nova in eorum locum substituunt, sed ista tantum
 exponunt, & magis illustrant, ut à singulis eò melius percipi-
 antur, atqve in pium usum convertantur. Hoc paecto depræ-
 dicari solet pius Verbi Ministrorum labor, qvi vel præcepta Ca-
 techetica libris complexi fuerunt, vel omni fide ac diligentia au-
 ditoribus suis tradiderunt, ut doctrinæ Christianæ notitia imbuti
 ad interrogata promte respondere, & fidei rationem reddere
 disserent. In eorum classem nunc referendum esse puto ex Du-
 catu Leoburgensi, Joannem Erhardi, Wernigerodensem, Eccle-
 siarum Ephorum Generalem, de qvo in *Indiculo Ecclesiarum ac*
Præconum Leoburgensem, A. MDCCXV. Leoburgi excuso, p. 9. se-
 quentia memorantur. Wie dieser in den Visitations Actis de
 Anno 1581. da er noch Pastor zu Siebeneichen gewesen / das Lob hat/
 daß er für andern als ein guter Catechet befunden / so hat er auch / als
 er Superintendens geworden / zu erst besondere Fragstücke über die
 fünf Hauptstücke Lutheri gestellet / und selbige zum Gebrauch in hiesiges
 Fürstenthums Kirchen und Schulen eingeführet. Huic Pastorem
 Mustinensem, Casparum Woldeckium, Rhudelianum, adjungo,
 quem Catechetica exercitia, non sine cœtus sacri commodo in-
 stitura, commendabilem reddidere Visitatoribus Ecclesiarum,
 teste adducto *Indiculop. 48.* Caspar Woldeck/Rhudelianus ist 1590.
 schon 9. Jahr in Ministerio gewesen. Er wolte gerne Formulam
 Concordiæ, und andere Bücher / so ihm wol nöthig / kauffen / mangelte
 ihm aber am Gelde: Ist ein einfältiger Mann / und ob er wol nicht hoch-
 gelehrt / hat sich doch in Examine befunden / daß die Leute in Catechismis
 ziemlich instituirt gewesen.

§. 7. Verum hoc scriptioris genus, qvo *Lutherus* usus est, at-
 que inclaruit, Surio nostro valde displicet, existimanti, illud
 fuisse juveni perniciosissimum, eoqve venena porrigi, animasqve
 hominum corrumpi. At si multum detrimenti inde reportaret
 & tanta tenera, ob qvam qvæso causam ipsi *Pontificii* huic autores
 esse solent, ut diligenter catechetis exercitationibus interesse
 haud

haud gravetur. Respicio autem nunc ad monitum *Adami Conzeii*, qvod *Politicorum Lib. IV. C. IIX. f. 201.* suggestis, *Regula IV. S. 8.* ita scribens: *Explicationi Catechismi singulis hebdomadis omnes intersint, ut à Magistris fuerit constitutum.* Qvam Regulam uberioris illustravit, præceptores, qvam discipulos instruens, ut officii sui partes diligenter obeant, atque tum tedium evitent, tum sacra studia omni contentione tractent. Imo de his memoriz est proditum, qvod libellis Catechetis conscribendis, inqve varias lingvas transferendis, diligentem navaverint operam, ut propterea venerandus Ecclesiaz purioris Theologus, *D. Jo. Fridericus Mayerus*, in *Exercitatione Theologica, Vittembergæ, ipso Reformationis Fæsto, A. MDCXXCIV.* exhibita, quantum Pontificis Reformatio B. Lutheri ipsis non diffidentibus profuerit? p. 14. thesin hanc, qvæ in ordine teria est, posuerit: *Catechismos Romana Ecclesia Lutheri laboribus posidet.* Notum enim est de *Petro Canisio*, qvod opera Catechetica confeccerit, iisdemqve magnam apud suos nominis famam sic consecutus. De parvo ejus Catechismo Catholicorum narratur, qvod omnibus prope linguis editus, passim in templis ac scholis edoceatur, teste Biblioteca Scriptorum Soc. Jesu, f. 663. In eadem qvoque, ipsius Catechismo, qvi *Summa Doctrina Christianæ* vocatur, & respetu parvi, Major dici potest, hoc laudis præconium tribuitur: *Incredibilis extitit in Christi Ecclesia hujus Catechismi fructus, cuius hoc unum pignus do, qvod ejus lectione se fateatur Serenissimus Princeps, Wolfgangus Wilhelmus, Dux Neoburgicus, induitum ad orthodoxam fidem amplectendam.* Ut non prolixius attingam, in diversas lingvas Catechismos, à Missionariis, ut vocantur, translatos fuisse. Testatus id ipsum est *Jac. Gretserus*, in *Controv. Bellarmini, Defens. T. I. Cap. XVI. L. II. f. 903.* verbis luculentis: *Dicere possumus, Japonas, Sinas, Malabares, Peruanos, Mexicanos, Brasilienses, & alias ad Orientem & Occidentem nationes, suam in lingvam divina dogmata translatisse; qvia, extant CATECHISMI & brevia fidei Christianæ summaria predicatorum gentium lingvis conscripta.* Imo neminem latere credo, Pontificiorum Doctores Catechismum integris libris 5) exposuisse,

5) E quibus tamqum adduco *Jo. Hesselii, Lovaniensis, S. Theol. Doct. & Professoris*

suisse, atque sic exemplo suo comprobavisse, hoc genus doctrinæ non esse perniciosum , nec fructu suo carere. Qva itaque ratione *Surius* Catecheticam docendi methodum perniciosa vocaverit, cum fidei suæ consortes illam & svaserint , & familiarem sibi reddiderint, mihi perspicere haud est integrum, nisi dicendum sit, eam ideo rejiciendam esse, qvod *Lutherus* ista usus fuerit, eademque vera doctrina animis hominum magis magisque infigatur. Dum vero venena à Lutherio, ejusque discipulis , hoc pacto propinari, pronunciat, in eo valde errat, atque mentitur. Etenim erroneam doctrinam Pontificios libellis atque exercitiis Catechetis disseminare , facillimo negotio evinci nunc posset, ni ab aliis jamdudum illud fuisset demonstratum, nostram tamen fidem falsam esse, atque homines corrumpere, nunquam *Surius*, cum reliquis , qvos habet, & naesturus est , asseclis evincet. Catechesis enim Lutheri ea exhibit capita fidei, qvæ , & materialiter , & formaliter , divina dici possunt, eo qvod maximam partem ipsa Scripturæ , divinitus inspiratae , verba complectatur. Explicatio vero textuum Catechetorum materialiter divina dici potest, ac retinetur , cum ex sacris litteris sit petita, à fidei analogia non recedat, atque universos ad sufficientem rerum divinarum notitiam perducere queat. Vere enim dici potest, articulos fidei primarios , qvi fundamentum fidei intrinsece & immediate constituant, non excluso articulo, de *Justificatione peccatoris coram DEo* , in illa Catechesi contineri. Conf. B. D. Rappolti Opp. Theol. T. II. p. 1957. sq. & B. Carpzovii *Iagoge in L. L. Symbolicos* p. 943. Dum autem è Scriptura sacra omnia , quæ *Lutherus* Carecheta tradidit, desumpta sunt, nullo plane modo de Catechesi ejus , nunquam satis laudanda, perhiberi potest , qvod vel perniciosa vel venenata complectatur. Scriptura enim sacra, & qvi ejus duætum unice in catechizandis rudibus sequuntur, non noxia, sed salubria, docent, qvæ morte depulsa vitam afferunt ac conservant. Qvamobrem unius cùjuscun-

ris Regii, A. MDLXVI. apoplexia correpti, ac denati , *Catechismum*, continentem, *Explicationem Symboli Apostolici*, *Orationis Dominice*, *Salutationis Angelica*, *Præceptorum Decalogi*, *Et priorum trium Sacramentorum*, Lovaniæ A. MDCLXIII. sexta vice impressum.

juscunque Verbi Ministri est, ut officio Cathechetico demandato
rite defungatur, ac nec blandiloquentia verborumque lenoci-
niis, seu Surius nugatur, neque versutia utatur, sed ut Deum ti-
meat, ac gregis commissi instituendique diligentem curam in se
suscipiat, qvò cum *Paulo*, qvippe cuius genuinus discipulus esse
debet, de se pronuntiare queat: *Solatium nostrum non est ex errore,*
neque ex immundicie, neque cum dolo. Sed sicut probati sumus à Deo,
ut concrederetur nobis *Evangelium*, ita loquimur, non ut hominibus pla-
ceamus, sed Deo probanti corda nostra. Neque enim cum verbo affesta-
tionis olim adsuimus, sicut noscitur, neque praetextu avaritiae, Deus testis;
Neque querentes ex hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis,
i. Thess. II. 3-5. Ceterum per pulchra sunt monita, qvæ Verbi Mi-
nistris, officium Catecheticum obitum, suggestis Venerandus
olim Theologus, ac post fata adhuc celebrandus, *D. Jo. Fechtius*,
in *Collegio Pastorali*, Cap. XI. p. 103. sqq. cui addi potest *Andrea Hyperii* de *Catechesi libellus*, in gratiam *Juvenum Catechistarum in Academia Julia A. MDCCIV. recusus*, cum præfatione *Viri celeberrimi, Jo. Andr. Schmidii*, de *Schola Alexandrina Catechetica*. Benè autem
hic monet *B. Carpzovius l. c. p. 946. sq.* Catechetica informationem
cum *Homiletica* non esse confundendam. In ista enim ipsi textui
Catechetico ita inhærendum est, ut ille, qvoad verba, non facile
immutetur, in hac verò *Catecheta pro ratione auditorum digressio-*
nies instituere possit, ut argumenta sublimiora qvoque pertractet,
qvò omnium desideriis inservire ac prodesse queat. Quidam
enim lacte tantum, alii vero duriore cibo alendi sunt. Plura &
sublimiora in auditorio nobiliori, pauciora & simpliciora in vulgari aue-
rufico requiruntur. Inde videmus pro auditorum diversitate diversas
etiam passim scriptas & editas esse catecheses, seu libellos catecheticos,
quorum nonnulli & ipsa polemica trahant, & argumenta adversariorum
solvere docent, verba sunt modo laudati veterani Theologi, *B. Lechrii*, l. c. p. 103.

§. 8. Conqueritur ulterius noster de affectata rerum sacra-
rum notitia, quam hædū pauci ex perditissima & infima populi
fæce sibi tribuerunt, perlectis Lutheri libellis catecheticos. Qua-
in re securus est *Jo. Cochlaeum*, qui graviter offensus Novi Testa-
menti

menti librīs, in germanicam lingvam translatis, atqve promiscuē
 à Viris juxta & Fœminis in consilium adhibitis, in *Comment.* de
Actis & Scriptis D. Mart. Lutheri f. 55. in hæc verba erupit : „An-
 tequam prodiret labor Emseri, mirum in modum multiplicabatur“
 per Chalcographos novum Testamentum Lutheri, ut etiam su-“
 tores, & mulieres, & qvilibet idiotæ, qvi Teuthonicas literas ut“
 cunqve didicerant, novum illud Testamentum, tanqva fon-“
 tem omnis veritatis, avidissime legerent, qvicunqve Lutherani,
 erant, illudqve sāpe legendo memoriaz commendarent, in sinu,
 secum portantes codicem. Ex qvo tantam intra paucos men-“
 ses sibi doctrinam arrogabant, ut non solum cum Laicis partis“
 Catholicæ, verum etiam cum sacerdotibus & monachis, atqve“
 adeo etiam cum Magistris & sacræ Theologiz Doctoribus,
 disputare de fide & Evangelio non erubescerent. Qvin immo“
 repertæ sunt mulierculæ, qvæ propositis Thematis editisqve“
 libellis Teuthonicorum, ausæ fuerint ultro provocare : & qvi-“
 dem procacissime insultantes, ignorantiamqve improperantes“
 & contemptui habentes viros, non modo Laicos, atqve priva-“
 tos homines : Verum etiam qyoslibet Doctores, & Licentiatos“
 totius Facultatis Theologicæ, ac totas etiam Universitates : Id“
 qvod de Argula Nobili qvadam muliere, compertum habetur.“
 Eoqve audacia, abiecto muliebri pudore, processerunt mulieres“
 Lutheriscæ, ut etiam jus officiumqve publice in Ecclesia do-“
 cendi, tametsi Paulus aperte contradiceret ac prohiberet, sibi“
 usurparent. Nec deerant eis defensores viri Lutherisci, qvi“
 dicere, Paulum eatenus prohibuisse docendi munus mulie-“
 ribus, qvatenus adsint viri, qvi docere sciant ac valeant. Ubi“
 vero cessent aut negligant, nesciante viri, ibi optime licere“
 mulieribus ut doceant. Et Lutherus ipse longè antea docue-“
 rat, mulieres qvoqve Christianorum vere sacerdotes esse, atqve“
 adeo qvicquid è Baptismo repserit, vere Papam, Episcopum,
 & sacerdotem esse. Juxta illud Petri dictum. Vos autem genus“
 electum, regale sacerdotium, gens sancta &c. Cum igitur“
 mobile vulgus ubiqve magis intentum sit & avidum, ad res“
 novas late divulgandas, qvam ad res conservatas in suo statu“
 conservandas: factum est, ut turba Lutheranorum longe plus“
 opera impenderit discendis sacris literis ita translatis, qvam“
 impedit populus Catholicorum, ubi Laici eam curam potis“

214

„sime in sacerdotes & Monachos rejiciebant. Unde contigit
 „nonnunquam , à Laicis Lutheranis plures scripturæ locos ex
 „tempore citari in colloqviis , qvam citarentur à presbyteris &
 „Monachis Catholicis. At jam dudum persuaferat Lutherus
 „turbis suis, nullis dictis habendam esse fidem, nisi qvæ ex sacris
 „literis proferrentur. Idcirco reputabantur Catholici ab illis
 „ignari scripturarum, etiamsi eruditissimi essent Theologi. Qvin
 „etiam palam aliquando coram multitudine contradicebant eis
 „Laici aliqui , tanquam mera pro concione dixerint mendacia
 „aut figura hominum.“ Utrumqve autem imitatus est *Nat. Alexander* in *Select. Histor. Eccles. Capit. Sec. XV. & XVI. p. 469. sq.*
 Etenim ægerime ferre solent hi homines , si Laici rerum sacra-
 rum scientia instructi deprehendantur , nec fide implicita ea re-
 cipere velint , qvæ Præsules Romani præcipiunt , audacissimeqve
 dicunt. Qværes quoque *Surium nostrum* permovit , ut impu-
 dentissimo ac mendacissimo calamo usus scriberet , in Cœtu Lu-
 theranorum homicidas , lictores , & carnifices , concionandi & Sa-
 cramenta administrandi ministerium obivisse. Nunquam enim
 hoc hominum genus ad sacra peragenda admissosuisse , intrepidè
 affirmari posse , mihi est persuassimum. Et si hoc unquam
 factum fuisset , cur *Surius* rem omnem , prout gesta sit , non com-
 memoravit ? Eadem enim facilitate , qva eandem auctorum te-
 stimoniis non instruetus affirmat , negari & impugnari istam posse ,
 omnes mecum consentient. Eqvidem non nego , post suscep-
 ptum emendatæ doctrinæ negotiorum qvosdam , qvi primùm op-
 ficia tractarunt , ad sacra munia fuisse evocatos , ut vel *Catechismum*
 docerent , vel *Sacramenta* dispensarent , atqve gregem divinum eru-
 dirent. Verum , extra casum necessitatis , paulo post Viros , doctri-
 na varia perpolitos , officiis sacrīs præfectos fuisse , ipsa experien-
 tia testatur. Qyamobrem rectè negant Doctores , Opifices , alios
 que homines rudes , ad Ministerium Verbi eligi posse. Fuisus
 istud argumentum discussi integra *Dissertatione Theologica* , expen-
 dente *Questionem* : *Num ad Ministerium Ecclesiasticum Opifices , ali-
 que homines iadisti , vocari possint ? Lubeca A. MDCCXI. edita.*
 Imo justam reprehensionem meruit olim Pastor Siebeneichenensis , in
 Ducatu Leoburgensi , *Theodoricus von Sobren* , cum A. MDLXXXI.
 Visitatores Ecclesiarum in vitam ac doctrinam ejus , & Paraciano-
 rum , inquirerent , qvod scribæ cujusdam opera in porrigo
 poculo Sacralenti fuerit usus. Hæc enim in adducto indiculo

Ecclesiarum Leoburg. p. 36. leguntur: *Der Pastor bekante / daß ihm der Schreiber von Hofe/ für 7. Jahren den Kelch in der Communion helfsen verreichen. Etenim reæte arbitriati sunt, Laico, in publico cœtu, non competere administrare sacram cœnam, eo qvod destituatur vocatione , & res hæc mandato, ac exemplo antiquitatis orthodoxæ, careat, sed omnia in Ecclesia ordine ac decenter esse peragenda. Qvapropter injuriam ficit Surius, omnesq; qui eum sequuntur, Lutheru, ac sim ministerium verbi destruxisset, atque omnibus Christianis sine peculiari & legitima vocatione potestatem verbum docendi dedit. Qvamvis enim Lutherus non negaverit, omnes Christianos potestatem & jus nactos fuisse, ad docendum verbum Dei, si legitime vocati fuerint, atque hoc ipso sacrificiorum & Episcoporum supercilium, vel tyrannidem , qvam adversus Ecclesiam exercent, frangere & contundere voluerit, existimantium, soli Clericorum ordini, ob impressum ordinis characterem, ac singularem jurisdictionem , ceteris statibus exclusis, istam potestatem tantum vendicari posse, attamen propterea in alterum non est delapsus extreum, nec cum Anabaptistis docuit, qvem que suo posse abundare sensu, & privata autoritate arbitrioq; sibi sumere honorem Verbi ministri, sed qvod is per electionem & vocationem Ecclesiæ secundum dictum divinum officio sacro vacare debeat. Qvapropter de Lutheru pronunciandum est, illum non simpliciter & absolute singulis facultatem sacra administrandi dedit, sed secundum quid, ita, ut respexerit, tum ad ministerium verbi & Sacramentorum, toti Ecclesiæ commendatum, per qvam Deus eligere ac mittere vult Ministros, quibus committi debeat administratio rerum sacrarum, tum ad generalem aptitudinem, qvam Christiani præ paganis habent, ut circa unctionem pontificiam , ordinarie, nulla alia re, nisi vocatione Ecclesiæ, accedente, eam exercere, atque Sacramentum quoque baptismi, in casu necessitatis, rite dispensare queant. Hæc, qvæ à Lutheru rectissimè propugnata fuere, eò trahi minime debent, ac si optimus Vir tradidisset, ipsum quoque Satanam à Sacramentorum administratione arcendum non esse. Is enim sub hypothesis, & quidem manifesto impossibili, locutus est, adversus Pontificios disputans, conscientiam, dignitatem, & efficaciam Sacramentorum nullo modo à persona administrante dependere, sed unicè à Christo, qui illa sanxit ordinavitque, adeo, ut si ipse Diabolus Sacraenta rite, juxta prescriptum divinum, dispensaret, istorum Sacramentorum efficacia in dubium vocati hand posset. Vid. B. Carpzevius in Disput. Isagog. p. 130. sqq.*

§. 9. Qvemadmodum autem præter omnem culpam Lutherum exagitat ac reprehendit Surius, qvod docuerit multitudinem contemnere sacerdotium, & placentia

216
V.D. 18
P. 6218 A

tantum, ac propter ossam, locutus fuerit, mo innumerous perdidere rit, ita contra rectissime affirmari potest, ipsos sacerdotes & monachos vanissima sua doctrina, & vita flagitiosa, fastuque intolerabilis se ipsos in contemtionem adduxisse, ac Lutherum singulis dignitatibus pristinam, quae ipsis ut fidelibus deferenda est, vendicasse, eosque ad verum Evangelii ac donorum spiritualium & temporalium usum perduxisse. Qva sane ratione innumerous non perdidit, sed servavit, atque ab interitu liberavit. Sic Archiepiscopum Moguntinum recte adhortatus est ad matrimonium, qvod omni hominum generi liberum est, & juris divini ac naturalis, adeoque jure divino nulli Episcopo interdictum, inendum, qvō ordinationis divinæ honos & sanctitas intemerata vigeat, vaga libido coercentur, atque innocentia morum singulos reddat commendatos. Ea denique, qvæ *Surius de nova lege* assert, fusiū examine nolo, cum Christus non novam legem, prout Pontifici eandem communiscentur, tradiderit, sed pias & salutares sanctiones ordinaverit, eorumq; usum perqvam salutarem fore docuerit. Distinctio nem verò illam inter Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, ad quam *Surius* pariter respiceret, eamque de *nova lege* à Christo instituta derivare, videtur, nullius prius esse jure arbitrator. Illa enim nec Apostolica est, nec jure divino fundata, multo minus potestatis inaequalitatem subinferi, sicut hodie in Ecclesiis retineantur nostris, & qui ratione Ordinis ceteris praefecti sunt, dicantur Superintendentes, ceu B. Carpzovius in *Iag. in LL. Symbol. p. 422.* loqui amat, collata *Dissertatione Theologica, Episcoporum & Presbyterorum Iuris divini quaestio*, expedente, & *Fena A. MDCXXCVIII.* sub praesidio B. D. Valentini Veltinem defensa.

§. 10. Sed misum nunc facio *Surius*, qui videm in *Lutheri Catechismum* animadvertisens *Jo. Cochlae* 6) vineta cedere visus, atq; *illustris* 7) qvondam Viri utilissimum librum allatrate aggressus est, eidem tamen nullum detrimentum afferre potuit. Qvam obrem Deum extremò precor, ut *Lubeca Imperialis* sartum tectumque *Lutheri Catechismum* habeat porro, atque ejusmodi nanciscatur Catechetas, qui pie, doce, & utiliter illum interpretentur, ac teneris mentibus cum cura insigant!


- 6) In *Comment. de Vita & Acta D. Martini Lutheri* f. 204. de *Catechismo Lutheri* ita judicantis: *Tanta permanest inter concionatores sua secta varietas & discordia, ut necessarium ei vijum fuerit, aliam rursus praescrivere docendi formulam, quam Catechismum inscripsit. In quo sane libro § X. praecepta Dei & Orationem Dominicam, Symbolumq; Apostolorum longe aliter exposuit in plurisque locis, quam ante X. annos fecerat. Praescripsit item & fidem & usum duorum Sacramentorum. Baptismi scilicet & Eucharistia novo modo, nec plura Sacra menta agnoscit. Quamvis enim ad confessionem ibi exhortetur populum: eam tamon longe aliam facit, quam instituit sancta Mater Ecclesia. Permittit enim consipienti dicere non omnia, quæ se se peccasse, sed ea que vult: ut a sacerdote consilium consolati onemque & absolutionem recipiat. Ejus postea exemplum fecuti alii nonnulli, qui se aliquid esse existimant, multos edidere Catechismos: sed ita, ut nullus cum alio per omnia concordes. Eo autem modo pueris pueris & prima adolescentia, institutur sua dogmata sic instillare per conciunculas vespertinas, velut cum lacte imbibita, ut actis in teneris pectoribus firmis radicibus, per omnum etatem infixa maneat, nec ullavi persuasione eradicari queant. Propueris itaq; Catechismos suos precipue conscribitur.*
- 7) *Magnum nostrum Lutherum Lutheri illustris elogium meritum esse, eruditissima Diaetria Scholastica probavit nuper clarissimus Schola Provincialis, qvæ Porta vocatur, Rector, Dr. M. Jo. David Schreberus, A. MDCCXVII. edita.*



ULB Halle
007 418 086

3





B.I.G.

RICI GOETZI, L
nt. Lubec.

III, 74



OPICIAS CHISMI ni Lutheri,

versus
IUM SURIUM,
ecensem,

i, A. MDCCXIX.

in

rendi Presbyterii
efendet

GERHARDUS
Samprecht/
Lauenburgicus,
Ecclesiæ Nüssensis.

is SAMUELIS STRUCKII.

